VIRES. EX DIOSCORIDE.

Eadem utriſq; facultas, & par uſus, exiccãs ſcilicet, aquã educens, ſtomacho nocens. Folia olerum modo decocta, pituitam & bilem purgant. Quinetiã teneri caules in olla cocti, eadem præſtant. Radix in uino decocta & in cibis data hydropicis auxiliatur. Eodem modo pota uiperarum morſibus ſubuenit. Vuluas emollit & aperit: & quæ circa eas ſunt affectiones, decocta cum aqua inſeſsione corrigit. Fructus cum uino potus eadem efficit. Illitus capillos denigrat. Folia recentia ac tenera cum polenta illita inflammationes mitigant. Ambuſtis etiam, & canis morſibus illita ſuccurrunt. Profunda & quæ in cauernas dehiſcunt ulcera agglutinant. Podagricis, cum taurino hircinóue adipe illita, auxiliantur.

EX GALENO.

Vtraq; Sambucus, & arboreſcens & herbacea, exiccandi, conglutinandi, modiceq; digerendi facultatem obtinent. Paulus Aegineta hæc adijcit: Poteę & manducatæ aquam per aluum educunt.

EX PLINIO.

Vtriuſq; decoctũ in uino ueteri, foliorũ, uel ſeminis uel radicis, ad cyathos binos potum ſtomacho inutile eſt, aluo detrahẽs aquã. Refrigerat etiam inflammationẽ, maximè recentis ambuſti: & canis morſum cum polenta, molliſsimis foliorũ illitis. Succus cerebri collectiones, priuatimq; membranæ quæ circa cerebrũ eſt, lenit infuſus. Acini eius infirmiores quàm reliqua: tingunt capillũ: poti acetabuli menſura, urinam mouent. Foliorũ molliſſima ex oleo & ſale eduntur ad pituitam bilemq; detrahendam. Ad omnia efficacior quę minor. Radicis eius in uino decoctæ duo cyathi poti, hydropicos exinaniunt: uuluas emolliunt foliorũ decocto inſidentiũ. Caules teneri minoris Sambuci in patinis cocti, aluum ſoluunt. Reſiſtunt folia ſerpentũ ictibus in uino pota. Podagris cum ſeuo hircino uehementer proſunt cauliculi illiti. Iidemq; in aqua macerantur, ut ea ſparſa pulices necentur. Foliorũ decocto ſi locus ſpargatur, muſcę necantur. Boa appellatur morbus papularũ, cum rubent corpora, Sambuci ramo uerberatur. Cortex interior tritus, ex uino albo potus, aluum ſoluit. Ebuli fumo fugantur ſerpẽtes. Tenerum cum foliis tritum, ex uino potum, calculos pellit. Impoſitum teſtes ſanat.

D Boa.

DE AMMI. CAP. XXI.

NOMINA.

AMMI Græcis, Ammi Latinis, Ameos officinis corruptè, Germanis Amey appellari poteſt.

FORMA.

Ammi caule rotundo & herbaceo cõſtat, ſurculis multis & exiguis: folio oblongo, anguſto, per ambitũ inciſuris diuiſo: flore paruo, candido, umbella Anethi: ſemine exiliori multò quàm Cuminũ, guſtu Origanũ prę ſe ferente, acri & ſubamaro: radice candida & multifibra. Eſſe autem hanc herbam uerum Ammi, ſeminis in guſtu ſapor, qui ſubamarus & acris eſt, omniũ maximè oſtendit: talem enim in eo ſaporẽ Galenus requirit. Origanũ etiam guſtu referre uideẽ. Quibus accedit antiqui & manuſcripti herbarij teſtimoniũ, cuius pictura & deſcriptio ſatis docent, hanc herbam eſſe Ammi genuinũ. Inter cætera enim ſemen Ammios piper guſtu referre, ideoq; à nonnullis piperculã dictã eſſe ait. Id quod certe ueriſsimum eſſe cõperies, ſi ſemen guſtaueris: miram enim huic acrimoniã ineſſe ſenties.

Ammi uerum.

LOCVS.

Nuſquam in Germania ſua ſponte naſcitur. Satum tamen facilè & magna copia prouenit, ſic ut deinceps extirpari uix queat.

TEMPVS.

Auguſto menſe floret, ac deinceps ubi defloruit, ſemen abundè producit.

TEMPERA-

AMMI